

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

Wiegand, Wilhelm

Straßburg, 1879

1143 - 1144

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

et, ut antiquo statui nostro consilio et auxilio revocaretur, devotissime flagitavit. cujus bonæ voluntati paterno congratulans affectu, sæpius inter nos ascitis quibusdam personis deum timentibus, scilicet Adelgoto domus præposito, Gottfrido decano, Heinrico archidiacono, Petro canonico, Erlewino civitatis presbitero conferre studuimus, quatinus hujus intentionis desiderium stabilem consequeretur effectum. consuluimus itaque, ut clericos ecclesiam illam quoquomodo possidentes aliquatinus salva ipsorum pace et religionem renovatum quiete summoverimus. quapropter secretius prænominatis personis astantibus eosdem clericos conveniens ac modo præ neglectu servitutis quotidianæ tantis sanctorum reliquiis impendendæ justis 10 iudicis intentans eis offensam, modo retributionis æternæ præmia consecuturos promittens, si devotionis nostræ proposito non obsisterent, annuente superna pietate tanto compendiosius eorum animos ad consentiendum nobis inclinavimus, quanto privatis irretiti negotiis et ipsius loci tenuitate causari videbantur. ut autem præsentibus et futuris omnibus pateret, qua præfatus vir nobilis et religiosus Karolus 15 intentione huius conatibus insudaverit, repente misericordiæ dei dispensatione divitiis et honoribus seculi, nobis stupentibus et de ejus absentia non modice dolentibus, renuntiavit coadunatisque pauperibus Christi regulam beati Augustini profiteri sponte volentibus, nudus nudam crucem sequi deliberavit sicque in beati Arbogasti ecclesia perpetuo se mansurum obtulit. precor ergo et contestor in domino clerum 20 et populum tam nostri quam futuri temporis, ut respectu dei et in remissionem omnium peccatorum suorum ecclesiam illam diligant, tueantur, foveant ac summo-pere caveant, ne religionem labore tanto reparatam dilabi vel destrui patiantur. si quis autem fratres ibidem deo famulantes amodo inquietare vel infestare præsumperit et admonitus respiscere contempserit, hic ecclesie communionem privetur et in 25 futuro dei justorum consortio proturbetur; eosdem vero foventes ac defensantes temporalibus abundant subsidiis et celestibus perfrui mereantur gaudiis etc.

Anno incarnationis dominicæ 1143, indictione 6, epacta 3, concurrente 4, episcopatus autem nostri anno vero 2 cepta et perfecta sunt hæc omnia, adjuvante domino nostro Jesu Christo vivente et regnante per infinita secula seculorum. amen.

30 *B aus Straßb. Bez.-A. G fasc. 1700 aus dem Privilegienbuch von St. Arbogast fol. 14—15. Papierhandschrift des 15ten Jahrh. 46 Blätter enthaltend.*
Gedruckt ebendarnach in Gallia christ. V instr. p. 481 nr. 21; Würdtwein Nova subs. dipl. VII, 130 nr. 50.

94. *König Konrad III bestätigt den gesammten Besitzstand des Straßburger Hospitals und nimmt es in seinen unmittelbaren Schutz. 1144 Juli 11 Straßburg.* 35

(C.) : In nomine sanctę et individue trinitatis. Cünradus divina favente clementia Romanorum rex secundus. : tunc vere reges sumus, si, quod hominum ore dicimur, sollicita animi intentione adimplemus, si personam divitis non attendentes clamorem pauperum intra exauditionis effectum clementer admittimus. 40 quocirca noverit omnium dei fideliumque nostrorum tam futuri quam presentis temporis industria, quod interventu carissime conjugis nostrę et regni consortis Gerthrudis, petitione etiam Burchardi Argentinensis ecclesię venerabilis episcopi, cleri